Drum auf! ihr treuen Musen-Söhne,
Stimmt meinen Worten ein,
Und lasset dis bey dem Valet-Gethöne
Den letzten Nachruff seyn:

ARIA.

Tutti â 3. vocib.

Auf! eil' und erhasche das flüchtige Glücke,
Du munterer Jüngling, durch Klugheit und Fleiß.
Es warten die Musen mit grossem Verlangen,
ICH eiligst auf ihrem Parnass zu empfangen,
Zu crönen mit Ehren, mit Lorbern und Preiß.

Da Capo.

TEMPUS

In Actu publico

ob distribuenda MAGNIFICI SENATVS Præmia
solenni
die XVI. Junii A. O. R. MDCCXXIX.
Horis, locoqve consvetis
A Studiosa Gymnasii Elisabetani Iuventute
considerandum
notum reddit
Gottlob Krantz.

WRATISLAVIAE,
in Officina Baumanniana Typis exprimebat
Ioannes Theoph. Straubel, Typographiae Praefectus.

α / ω.

L. B. S.

CUm nuper sacrosanctum illud Tempus, qvo Ecclesia Redemtoris sui passionem & mortem devotè recolit, qvodqve pœnitentiam Iuventuti scholasticæ publicè agendam injungit, â me qvoqve hanc officii mei partem exigeret, ut prænetica oratione, Legum prælectiom publicæ præmissâ, conscientias juventutis nostræ, nimiâ, proh dolor! securitate sopitas, ad pœnitentiam, salutisqve suæ curam excitarem; post varia alia huic scopo salutari inservientia themata ê suggestu publico antea exposita, TEMPUS mihi elegeram penitius considerandum, illiusqve observationem exactiorem juvenibus fidei nostræ commissis inculcandam. Sed aliter visum erat Illi, in cujus manu omnipotente tempora nostra sita sunt; gravi enim & periculoso morbo impeditus, nec penso huic meo suscipiendo par eram, nec Sacris nostris solennibus interesse poteram. Cum tempore paschali inter varias animi corporisqve ægritudines exacto, vires per Misericordiam Divinam qvodammodo restituerentur, reparati vigoris primitias qvasi ad Actum æstivalem publicum, ob præmia MAGNIFICI SENATUS juventuti distribuenda solennem producendum adhibiturus, cogitata illa priora, per corporis & animi debilitatem impedita, resumebam, eaqve nec Theatro nostro inconvenientia putabam; tristi enim illâ negligendi, aut male adhibendi Temporis consvetudine nimium qvantum invalescente, qvid magis necessarium videretur, qvam juvenum in hâc securitate contumaciam sinceris adhortationibus corrigere, necessitatem observandi Temporis demonstrare, malaqve neglectum hunc inevitabili ratione secutura ob oculos ponere?

Huic verò scopo intentus tantâ rerum proferendarum multitudine & diversitate obruebar, ut, qvid eligendum, qvid omittendum, diu ambigerem. Digna videbatur vel Gentilium Philosophorum prudentia, ut illam excuteremus, & salutaria monita, præter alios, ex *Senecæ* vel *Epistolis*, vel maximè ex elegantissimo *de brevitate vitæ* libello, vel ex *Plutarchi Convivio septem Sapientum*, sive *consolatione ad Apollonium*, *de tarda DEI vindicta*, *de dictione ei apud Delphos*, *de placitis Philosophorum*, aliisqve libellis, consideranda proponeremus; qvæ certe Christianis, de voluntate summi Numinis edoctis, temporis tamen exiguam, vel nullam rationem habentibus, ruborem injicere possent. *Non tam benignum*, dicit laudatus *Seneca (Epist. 117.) ac liberale Tempus natura nobis dedit, ut aliqvid ex illo pacet perdere; & vide qvam multa etiam diligentissimis pereant. Aliud valetudo sua cuiqve abstulit, aliud suorum; aliud necessaria negotia, aliud publica occupaverunt; vitam nobiscum dividit somnus. Ex hoc tempore tam angusto, & rapido, & nos auferente, qvid juvat, majorem partem mittere in vanum? Adjice nunc, qvod asvescit animus delectare se potius, qvam sanare.* Et, qvis Æternitatis, fugæqve Temporis rationem habere melius posset, qvam *Plutarchus*, â genuina tamen pietate & veritate alienus? *Qvid igitur illud est*, inqvit, *(de ei apud Delphos) qvod revera est? Æternum, qvod neqve oritur neqve obit, cui tempus vicissitudinem adfert nullam; siqvidem est Tempus, qvod mobile, perfluit perpetuo, estqve qvasi vas ortus & occasus Tempus; de qvo qvidem cum dicatur posterius, prius, erit & fuit, confessio est, rem non esse. Si*, ut alibi idem loqvitur, (*in Consol. ad Apollonium*) *cum Æternitate compares vitæ tempus, nihil inter breve & longum invenies discriminis; nam, de Simonidis qvidem sententiâ aut*

M.

03071

M. aut XM, punctum qvoddam sunt infiniti, aut minima potius puncti portio. Mensura vitæ, dicit paulô post, *non est longitudo Temporis, sed honestum.* Qvamvis autem horum aliorumqve hujus generis ratiocinia honestati, sanæqve rationi congrua satis videantur; ad Christianorum tamen conscientias validius constringendas, vel sola illa argumenta sufficere nobis videntur, qvæ ex certissimo Veritatis fonte, sancto DEI verbo petita, mentes ad veræ fidei normam dispositas longè magis afficiunt, imò rectius emendare valent. Hoc intendentes, cum amplissimæ rei, nec integris voluminibus exhauriendæ, intra horulæ unius aut alterius spacium satisfieri minimè possit, cumqve circumscriptus colloqventium numerus omnem prolixitatem excludat, tribus modo simplici ratione differentium colloqviis, argumentis ut plurimum ê divinis Oraculis mutuò petitis, *Temporis accuratiorem observationem* commendare voluimus. In *Introitu primo*, cujus scopum ex colloqventium nominibus colligere prudentiores facile poterunt, frivola plurimorum aut frigida de Tempore judicia, eorum præcipuè, qvi vel ex animi levitate & voluptatis amore Tempus negligunt, vel ut scioli, scepticismo suo saniorem aliorum sententiam confundere satagunt, vel superstitioso Temporis cultu in alterum latus impingunt, confutanda *Eucæro*, prudentiori Temporis observatori dedimus. *Introitus alter* ad Tempus debitâ ratione dijudicandum & æstimandum, sacris, physicis & moralibus rationibus instructus, nullâ indiget expositione. In *tertio*, eoqve ultimo *Introitu* ipsam observandi Temporis praxin, ad qvodlibet qvidem hominum genus pertinentem, exempli modo gratiâ, tribus diversæ professionis hominibus adumbrandam magis, qvam debite exponendam, & contra pravam juvenum multorum in contrarium nitentium licentiam defendendam dedimus. Longè plura vel ipsa rei amplissimæ ubertas, vel copiosa prudentium Virorum scripta nobis subministrassent; imo vel solius *Jacobi le Bleu*, celeberrimi apud Giessenses Antecessoris *Cærologia*, sivè Discursus eruditissimus de Opportunitatis occasione (*Giessæ*, 1664. 12.) in partes vocatus, largam nobis amplificandæ rei copiam exhibuisset; nisi & hic Temporis ratio habenda, Auditorumqve Honoratissimorum tædia omni modo vitanda nobis fuissent. Ut verò illa acroamatum fastidia dramatico schemate qvodammodo dispungantur, *Interscenionum* loco notas ubiqve *tres Temporis Differentias* cantu salutaria monentes, inde *qvatuor* illa vel pueris nota *Anni Tempora*, post *Noctis* & *Diei* schemata exhibere voluimus, eâ brevitate utentes, qvæ captum Adolescentum paucorum, huic Actioni destinatorum, parumqve exercitatorum, non excedit; cum alioqvi ad longè ampliora & jucundiora materia non defuisset, si, ut rem exemplo declaremus, vel ad solam Noctis expositionem *Jacobi Andreæ Crusii de Nocte & nocturnis officiis lucubrationes*, ut curiosas, ita lepidissimas, (Bremæ 1660. 12.) ad hibere nobis licuisset.

His terminis circumscriptus, nec proprio nostro desiderio sufficiens labor noster, qvem Temporis & Officii ratio nobis injunxit, oculis & auribus prudentum Spectatorum & Auditorum meticulosius sisteretur, nisi ea me fiducia erigeret, fore, ut æqvi Censores ad veniam dandam viribus multorum annorum curis & laboribus, imò, & eo ipso tempore, qvod huic meditationi adhibendum erat, variis morborum & afflictionum ærumnis fractis, proni sint futuri. Qvod si vel omnia displiceant, displicere tamen non poterit conatus, juvenum nostrorum animos ad Temporis divinitus concessi observationem accuratiorem usumqve salutarem disponendi; qvi publicam salutem, futuriqve

Tem-

Temporis prosperitatem pro scopo habens, omnibus Bonis, ut firmiter speramus, probabitur. Stimulum Juventuti nostræ duplicem ad Tempus salutari ratione collocandum simul exhibebimus; argentea primò MAGNIFICI & MUNIFICI SENATUS Præmia, ut iis destinata, qvi hactenus Temporis ratione habitâ rerum suarum sategerunt, sic ad constantiam in laudabilis vitæ & Temporis observandi ratione validissima incitamenta; inde & laudabile Exemplum *Andreæ Strehlizii* J. V. Cand. qvi qvondam pars hujus cœtus nostri modestia vitæ & industria laudabilis, non modo breve vitæ suæ Tempus bene collocavit, sed & gratus Gymnasii nostri Discipulus, facultatibus suis divinitus collatis, futuro tempori prospexit, Docentibus æqve ac Discentibus congiaria constituens non contemnenda; cujus memoriam, juxta tabulas Testamenti, oratiuncula latina in fine Actus nostri habendâ conservare qværemus.

Ad hæc itaqve omnia audienda & benevolè suscipienda, bonarum Literarum in Urbe nostra PATRONOS, FAVTORES, AMATORES, eâ, qvâ par est, submissione & humanitate invitamus, rogamusqve, ut crastino die, horis locoqve consvetis, huic juvenili exercitio interesse, breviqve aurium patientia propensum suum in bonas Literas animum in solatium nostrum demonstrare velint. Renovabunt illi, hæc nostra audiendo, jucundam *præteriti Temporis*, qvo ipsi inter studia juvenilia Tempus bene collocarunt, memoriam; *præsens Tempus* vel trium horarum patientiâ non malè, ut speramus, adhibebitur; *futuri* autem *Temporis* prosperitatem tam monita nostra, qvam præcipuè juventutis per *Patronorum* & *Fautorum* æstimatissimam præsentiam & approbationem excitata fiducia & animositas promovebunt. P. P. die XV. Junii A. O. R. MDCCXXIX.

BIBL. UNIV. WRATISLAV

Prodibunt

I. In Actu ipso, TEMPVS
1. Male dijudicantes, PHLYARODES, (Ioh. Ernst à Pritwitz.) SCEPTICVS, (Sigm. Albr. ab Helmrich) DISIDÆMON, (Heinr. Adolph à Dreßky) contrarium asserente EVCÆRO, (Ernst Wilhelm ab Hubrig.)
2. Magni æstimantes, THEOLOGVS, (Benjam. Francke Lubens.) PHYSICVS, (Carl Abrah. Kittelhoff, Fraustad. Pol.) & ETHICVS, (Dan. Casp. Aeschner Wrat.)
3. Observandum asserentes, PHILOSOPHVS, (Christian. Ioseph. Schultes laurov.) NEGOTIATOR, (Carl Wilh. Sachs Wrat.) & VILLICVS (Georg. Wilhelm Schwan, Wolav.) adversus contrariam opinionem ADOLESCENTIS, (Gottlob Benjam. Straube, Reichenbac.)

II. Prologi, Intersceniorum & Epilogi loco
1. TEMPVS PRÆTERITVM, (Dan. Gottlieb Viebig Bojanov. Pol.) PRÆSENS, (Ioh. Gottlieb Günther Schneeberg. Misn.) & FVTVRVM, (Ioh. Heinrich Qviel, Nimic.) Monita salutaria cantu proposituri.
2. VER. (Ioh. Pachaly Wrat.) ÆSTAS, (Iac. Hönisch Wrat.) AVTVMNVS, (Gottlieb Ferdin. Straßburgk, Wrat.) & HIEMS, (Carl Andr. Roth Wrat.) post certamen leve consensuri.
3. NOX, (Carl Benj. Haupt Wrat.) & DIES, (Sam. Gottlieb Jäckel Wrat.) dissensum sopientes.
4. NOX, DIES, VER, ÆSTAS, AVTVMNVS, HIEMS, TEMPVS PRÆTERITVM & PRÆSENS, qvos omnes, repulso futuro, removebit ÆTERNITAS, (Ferd. Gottlieb Große Wrat.)

III. ORATOR STREHLIZIANVS, (Ioh. Sam. Tepler Wrat.) post Præmiorum distributionem, verba *Senecæ* (*Epist. 1.*) *Qvædam Tempora eripiuntur nobis, qvædam subducuntur, qvædam effluunt: turpissima tamen est jactura, qvæ per negligentiam venit*, brevi oratiunculâ latinâ expositurus.

S. D. G!

Dem Weyland
Wohl-Ehrenvesten und Wohlbenahmten
HERRN
Christian Stieff,
Vornehmen alten 50-jährigen Bürger und Handels-Manne in Breßlau/
Welcher nach einer langwierigen Leibes-Schwachheit
Verwichnen 12ten Augusti 1729.
seelig verblichen,
Sein Christlich-geführtes Alter
auf 80. Jahr/ 5. Monath/ und 9. Tage rühmlich gebracht/
Und den 28sten darauf
Bey der Pfarr-Kirchen zu St. Maria Magdalena
unter ansehnlicher und Volckreicher Begleitung
zur Erden bestattet worden,
Wolte zu einigem Troste
Derer gesamten hinterlassenen
Leidtragenden Angehörigen
in nachfolgender Ode
Nach Anleitung des erkieseten Leich-Textes Ps. CXIX. v. 116. und 166.
Den iezten Ehren-Dienst abstatten helffen
Christian Stieff.

Breßlau in der Baumannischen Erben Buchdruckerey druckts Joh. Theoph. Straubel, Factor.